

Hg. 13

Galileo
NONNULLA
PRINCIPIA PHYSICES
PRÆSERTIM
CAUSA GRAVITATIS
CEU PRIMUM PRINCIPIUM
PHÆNOMENORUM
EXPLICATA

A U C T O R E
ALBERTO FRIDERICO MARTINI
CROSN. SIL. PHIL. STUDIOSO.



HALÆ MAGDEBURGICÆ,
LITTERIS HENDELIANIS,
ANNO M DCCXXXVIII.

PRINCIPIA PHYSICIS
ET MATHEMATICAL
CAUSÆ GRAVITATIS
PHÆNOMENON RUM
ALBERTO MAGNETICO
ET ELECTRICO



LITERIS HENDERICIANIS
ADAMUS

VIRO
SUMME REVERENDO
EXCELLENTISSIMO ET DOCTISSIMO
ALEXANDRO GOTTLIEB BAUMGARTEN

PHILOSOPHIÆ PROFESSORI PUBLICO
EXTRAORDINARIO
IN
FRIDERICIANA

F A U T O R I
OMNI CULTUS GENERE AMANDO.

VIR EXCELLENTISSIME
ATQUE DOCTISSIME!

Benevolo accipies animo, VIR EXCELLENTISSIME, primitias studiorum meorum, quas Tibi sincera & devinctissima mente offero. Oculos præbebis benignos huic opusculo utut valde indigno submitti singulari eruditioni tuæ. Voluntatem, cupidinem aspicies, quales cognosci possint ex paucis hisce pagellis. Hinc errores ignoscet studioſo, qui de eo, quod Tui auditor audiat, sibi gratatur. Deus Te servet salvum ac incolument. Ita vovet

VIR EXCELLENTISSIME
ATQUE DOCTISSIME
NOMINIS TUI

devinctissimus Cultor
ALB. FRID. MARTINI.



PRÆFATIO.



Pero, fore ut ignoscatur mihi audacia, qua adductus meditationes nonnullas de materia admodum ardua in medium profero. Etsi enim meditatio nil nisi probabile quid pariat, communicatio tamen cum eruditis sapientissime efficit, ut vel veritas vel falsitas propositionis aliquius eruatur. Minime igitur causam gravitatis certam jam eruisse me, prædico, sed vix ac ne vix quidem secundum ordinem naturalem nonnullas propositiones forsitan adhuc probabiles Eruditorum disquisitionibus submitto. Nimirum præcipue vim, quæ in omnibus corporibus eorumque particulis naturali solutione constitutis observatur, ceu principium mutationum, in genere & in specie definiō; corporibus autem eorumque dispositionibus sigillatim attendenti ut mihi in dispositione aëris causam illius principii animadvertis visus sum, explano præcipuaque phænomena per illam ceu primum principium explicō. Dabam Halæ Magdeb. d. 3. Junii Anno MDCCXXXVIII.

A 3

NON.

NONNULLA
PRINCIPIA PHYSICES,
PRÆSERTIM
CAUSA GRAVITATIS
CEU PRIMUM PRINCIPIUM
PHÆNOMENORUM
EXPLICATA.

§. 1.
Physica est scientia eorum, quæ fiunt per vires corporum & corporearum particularium.

Particulas corporeas, sicut nempe naturali solutione constituuntur, etiam gaudere viribus, nisi propriis mutuis tamen, experientia satis docet & ex sequentibus clarius evadet, & quamvis eæ itidem sint corpora, ob parvitatem & singulares mutationes tamen sigillatim considerantur.

§. 2.
Corpora sunt entia, quæ ex pluribus s. particulis cohaerentibus constanter, ad sensus nobis obveniunt & vi gaudent.

§. 3.
Cohæsio est contactus corporum vel corporearum particularum, ubi major vis requiritur ad ea separanda quam alterum eorum sigillatim movendum.

§. 4.
Vis aut actio physica s. Gravitas in genere est Nodus corporum vel particularum corporearum certam plagam versus.

§. 5.
Nodus quiescens est conatus alicujus corporis vel particulae

NONNULLA PRINCIPIA PHYSICES, &c. 7

culæ corporeæ statum suum mutandi (dicitur etiam *Quies* s. *otio quiescens*).

§. 6.

*N*odus movens est *N*odus sensibilis s. *mutatio status* (dicitur etiam *Motus* s. *actio movens*).

§. 7.

Certa ploga est *objectum quoddam vel existens vel superpositum respectu alicujus corporis, ad quod versus ab omnibus istius corporis punctis linea perpendiculariter ductæ vel sunt parallelae vel coincidentes.*

§. 8.

Terra est *congeries corporum, super quam habitamus, sp̄baram præter propter constitutens, cuius partes omnes nisum habent quandam plagam versus intra sp̄baram.*

§. 9.

Aer est *corpus terram nostram ambiens, intra quam partes terra nonnunquam nisum sensibilem ita exercent, i. e. statum suum mutant s. moventur, ut moveantur quandam plagam versus intra terram, nonnunquam autem quandam plagam versus extra terram sursum aut à latere.*

Aërem verò ex partibus constare ideoque esse corpus, ex eo manifestum est, quod corpora nostra aliaque eum penetrant & sic partern a parte, iis antea cohærentibus, separent, nobis etiam ad sensum obveniat sc. quoad tactum.

§. 10.

Aëre, sicut hæret circa terram nostram, inclusò quodam vase, & remoto aere vos ambiente, vas e. g. lagenæ vitrea ex lateribus planis consans rumpitur & aer ex parte permanet in loco suo, ex parte replet spatium extra lagenam. Ubique autem aliqua aeris pars, sive sit minor, sive major, istud phænon menon exhibet.

§. II.



8 NONNULLA PRINCIPIA PHYSICES,

§. II.

Aer dicto modo dilatatus in pristinum aut etiam in minus spatiū comprimi potest per antīam pneumaticam. Comprimitur etiam aeris pars extra lagenam adhuc restans ab aeris parte lagenā inclusa magis compressa, i.e. majorem vim habente, dum spatiū ipsius ex parte replet, usque dum tantum reagat, quantum hæc agit, i.e. aequilibrium constitutum sit.

§. 12.

Minorem vim igitur majori cedere oportet, donec tantum reagat, quantum major agit, i.e. donec aequilibrium constitutum sit.

Minor vis ex eo, quod alii, cui conjuncta est, cedere coguntur, cognoscitur, & itaque inde definienda est. Definatio igitur hic infar axiomatis adhibetur. Quodsi autem inferatur: minor vis nonnunquam ex eo agnoscitur, quod effectus ejus minor sit alterius effectu in eandem tertiam, responderetur: quodsi cum altera conjungeretur, æquè in se mutuò agerent ambæ ac in eandem tertiam. Jam cum illi effectus essent inæquales, hi effectus etiam inæquales forent, hinc minorem præstantem cedere oportet majorem præstanti. Quod itaque universale illud est, quo minor vis agnoscit potest.

§. 13.

Nec minus patet ex §. 10, II., quamlibet aeris partem circa terram nostram compressam esse & ab aëre ambiente sic compressam retineri; & quia in continentis se expandit, remoto ambiente, continuè itaque reagere contra ambientem, i.e. conatum habere se expandendi.

§. 14.

Quare aer totam terram nostram omiens est compressus

PRÆSERTIM CAUSA GRAVITATIS.

9

*fus & conatum habet sese expandendi, & aërem totam terram
ambienteem aliquid ambit illum compressum tenens.*

Quodsi objiciatur, aërem ambientem rumpere vas per attractionem, dum removetur; respondet: si, aëre jam remoto sub campana, vas quoddam e. g. lagena supra descripta aëre repleta immittatur tali vacuo, lagena etiam rumpitur, ac si adfuisse, dum aëris remotus est. Jam nulla attractionis causa existente, vase etiam in statu suo permanente, si aëris ex vase enim auferatur, ratio in aëre vase inclusa querenda est, quæ autem non nisi in actione movente consistit, quacum expansio conjuncta sit necesse est, sic ut ex §. 10. & Geom. patet.

§. 15.

Qualibet sphæra à superficie ad centrum in multis pyramidis dividī potest, i. e. in ejusmodi solida, quorum bases, quod magis à centro remotæ sint, continuè crescunt, quod it idem valet, et si superficies sphæræ non sit exactè sphærica, sicur ex Geometria patet.

§. 16.

Concipiantur in qualibet pyramide rotæ aeris particulae magnitudine arque figura æquales & aequaliter compressæ, quod liber; numerus earum superficiem versus continuè crescit, & sic à superficie centrum versus continuè plures contra pauciores agunt, quare actio deorsum continuè crescit, sursum vero decrevit.

§. 17.

*Quod etiam valet de aëre terram nostram ambiente, sive
superficies ejus sit exactè sphærica sive minus.*

§. 18.

Particulae aeris dicto modo constitutae centrum versus continuè magis comprimuntur quam superficiem versus, usque

B

dum

10 NONNULLA PRINCIPIA PHYSICES,

dum æquilibrium constitutum sit. A superficie enim centrum versus continuè plures contra pauciores agunt (§. 16.). Quæ pauciores &que ac plures compressæ cum propter minorem numerum minori gaudeant vi & minorum vim majori cedere oporteat, donec æquilibrium constitutum sit (§. 12.), quod particulis omnibus inclusis nonnisi per compressionem fieri potest (§. 11.); particulae centrum versus continuè magis comprimuntur quam superficiem versus, donec æquilibrium constitutum sit, i. e. in hoc casu usque ad actionem quietem.

Minor vis ex eo, quod alii, cui conjuncta est, cedere cogatur, cognoscitur (§. 12. not.), & itaque particulæ, quæ a liis cedunt, minori vi gaudent. Hinc tanquam corollarium constat, particularum quarundam contra se invicem agentium in omnibus præter numerum æqualium numero minores etiam vi minores esse. Cum enim omnia tanquam æqualia assumantur, inæqualitas numerorum cessionem certam reddit, quippe quod aliud à posteriori jam cognitum est.

Posito numerum particularum in serie extrema esse ad numerum in serie subsequenti ut 1000 ad 999, compressio harum ad compressionem illarum est, ut 1000 ad 999. Jam in tertia serie eadem proportione ad præcedentes existente, itidem compressio illarum ad harum est, ut 1000 ad 999, & quoniam jam superfluum est in secunda serie, in tertia serie etiam respectu hujus superflui superfluum accrescit, & ita porro centrum versus.

§. 19.

Æquilibrio sic semel constituto, eadem ratio prostar, cur semper magis comprimerentur ea quæ centrum versus quam quæ

PRÆSERTIM CAUSA GRAVITATIS.

ii

quaæ superficiem versus sunt, si adhuc per majorem vim æquilibrium constituendum foret.

Posito enim compressionem aut densitatem in extrema serie fieri 1000, compressio in secunda serie fit $1001 \frac{1}{999}$.
proportio enim est: sicut 999 ceu numerus in secunda serie ad 1000 ceu numerum in prima serie, ita 1000
ad $1001 \frac{1}{999}$.

§. 20.

Aër circa terram nostram itaque centrum versus continuè magis compressus est quam superficiem versus.

Quod etiam ex experientia clarum est.

Compressionem istam factam esse, dum prima vis toti aëri applicata est initio rerum a Creatore, statuendum est. Et si potius credendum sit, aërem jam compressum creatum esse, ipse tamen aliter proportionatus creari non posuisset, quare dictus effectus consecutus esset, si aës initio vi quadam generali ipsi applicata è majori in minus spatiū coactus fuisset. Ita enim vis applicata per omnes particulas se distribuisset & idem fuisset ac si qualibet particula sigillatim certo modo compressa & secundum proportionem numerorum decrescentium continuè major compressio in iis se exerens concipiatur.

§. 21.

Actio deorsum in ejusmodi compressione majori celeritate fit, quam actio sursum & continuè è majori quò magis ad centrum appropinquit.

§. 22.

Conatus se expandendi i.e. nisi usq. actioni quiescenti hanc ob causam etiam major celeritas attribuenda est deorsum

B 2

quam

12 NONNULLA PRINCIPIA PHYSICES,

quam sursum & continuè èd major, quò magis ad centrum ap-
propinquat, i. e. promtior est actio deorsum ad movendum, re-
moto obstatculo vel addita majori vi ad comprimentum, quam
actio sursum.

§. 23.

Actio quiescens s. æquilibrium particularum aërearum,
sicut hærent circa terram nostram, itaque consistit in certa cen-
trum versus continuè secundum proportionem numeri particu-
larum inversam aucta rum densitate tum celeritate particula-
rum se expandere conantium & in minori celeritate secundum
dictam proportionem superficiem versus, quò magis ad centrum
appropinquant.

§. 24.

Remotis aliquibus aëris particulis aliis circumdatiæ æ-
quilibrium tollitur; hinc actio movens se exerit & quidem
majori celeritate deorsum quam sursum & itidem majori cele-
ritate, quo proprius centrum id accedit, minori autem, quo pro-
pius superficiem id accedit.

§. 25.

Hinc remotis aliquibus aëris particulis aliis circum-
datiæ aliisque vel conatu se expandendi planè carentibus vel
minori gaudentibus substitutis itidem æquilibrium tollitur, a.
Etio movens autem se exerit & majori celeritate deorsum quam
sursum.

§. 26.

Hinc ejusmodi particula ab aëre diversæ aëris particu-
lis ita substituta cedere coguntur, & quidem deorsum, quod ca-
dere vocatur, èd majori celeritate autem, quò minori conatu se
expandendi gaudeant, & èd majori celeritate, quò maior spå-
tium occupent deorsum & itidem majori celeritate, quò centro
proprietates sunt, minori autem celeritate, quò superficie propiores
sunt.

Quod si

PRÆSERTIM CAUSA GRAVITATIS. 13

Quodsi objiciatur, particulas inferiores proportionales esse particulis superioribus propter densitatem, hinc magis comprimi non posse sed æquilibrium eas adhuc tenere & particulas substitutas tali ratione cedere minime posse; respondeatur: si inferiores particulae essent inclusæ, ne à latere nec sursum excedere possent, tunc comprimendæ essent, si actio movens superiorum exerceri deberet, tunc autem propter æquilibrium actio movens minimè locum haberet; cum verò particulae superiores à latere existentes continuè spatiū supra corpus replere possunt, quod se mouere possunt durante corporis motu, inferioribus itidem spatiū redditur à latere, nempe spatiū earum, quæ superius spatiū occupant, occupare possunt, & itaque tali modo æquilibrium continuè restituitur, dum particulae superiores actionem moventem exercent propter superflium celeritatis & particulae substitutæ vel conatu carentes vel minore gaudentes sic versus inferiores particulas moventur.

§. 27.

Quoniam inferiores aëris particulae, particulis substitutis cadentibus, premuntur & itaque à latere excedere coguntur, id temporis autem in aliud resistunt; eò plus contribuit ad lentiorē lapsū, quo plures particulae aëris ab altis infra tanguntur & quod magis in linea horizontali.

§. 28.

Hinc & lentius cadunt eadem particulae in aëre dense quam in rariori in eodem loco.

Quod etiam ex experientia clarum est.

§. 29.

Quodsi corpus quolibet vel conatu se expandendi plane carens vel minori gaudens substituarur aliquibus aëris particulis

B 3

culis

14 NONNULLA PRINCIPIA PHYSICES,

*culis aëre circumdati, corpus illud movetur deorsum, i.e. ter-
ræ centrum versus.* Aliis particulis vel conatu se ex-
pandendi planè parentibus vel minori gaudentibus particu-
lis aëreis aëre circumdati substitutis, actio mo-
vens se exerit & quidem majori celeritate deorsum
quam sursum; hinc ejusmodi particulæ ab aëre diver-
sæ cedere coguntur & quidem deorsum (§. 25, 26.). Quodlibet corpus consistit in particulis cohærentibus
(§. 2.). Hinc etiam valet de quolibet corpore vel co-
natu se expandendi plane parente vel minori gaudente,
quod sub ista conditione moveatur deorsum, i.e. ter-
ræ centrum versus.

Etsi terra obstat, quò minus corpora propè centrum ap-
propinquare possint, appropinquarent tamen, si globus
terræ abesset, & terram, si in quantitate moverentur, con-
stituerent, quibus consideratis etiam non mirum est, ter-
ram locum circa centrum occupare.

§. 30.

*Quodlibet corpus itaque eò majori celeritate cedit deor-
sum, quò minori conatu se expandendi gaudet, & quò mojus
spatium occupat deorsum, & iridem majori celeritate, quò cen-
tro proprius est, minori autem, quò superficie proprius est.*

§. 31.

Valet etiam *de quolibet, ejusmodi corpore*, quod §. 27.
assertum est, *quod ad eò lentiorem lapsum illius contribuat, quò
plures particulæ corpus infra tangat & quò magis in linea ho-
rizontali.*

Quid sit linea horizontalis, infra quidem ostendetur, hic
tamen cœu ex Mathesi notum assumitur.

Hinc affer & baculus in linea verticali secundum longi-
tudinem

PRÆSERTIM CAUSA GRAVITATIS.

15

tudinem constituti celerius cadunt, quam si in linea horizontali constituantur secundum longitudinem, & quidem celerius in aere rariori quam in aere densiori in eodem loco, celerius autem in vallis quam in altitudine montium respectu celeritatis accrescentis in nisu particularum aërearum centrum versus & decrescentis superficiem versus.

Nec minus experientia docet, quod corpus, quod minori conatu se expandendi gaudet, eò majori celeritate cadat: Sphæra vitrea cava scil. tantum aere extraneo æquali repleta minori celeritate cadit quam ejusmodi sphæra vitro plena. Quod autem sphæra vitrea aere repleta majore se expandendi conatu gaudet quam sphæra æqualis vitro plena, ex sequentibus patet: Si aër dictam sphærarum ambiens auferatur, sphæra, posito ex vitro tenui eam confectam esse, ab aere inclusio rumpitur, sphæra vitro plena è contrario in statu quo permanet. Quodsi objicitur: Aere ex sphæra ablato, sphæra etiam minori se expandendi conatu gaudet, quam aere repleta, hinc & eò celerius ut cadat necesse est, quod autem experientiae repugnat; responderet: aër nunquam totus auferri potest, residuum autem valde tenuatur. Jam cadit adhuc corpus in ejusmodi sphæra exantata terræ centrum versus. Ratio itaque hujus lapsus extra sphærarum adhuc querendaest. Id igitur quod lapsum excitat, per vitrum penetrat, necesse est. Cum aër valde tenuari possit, hæc penetratio aëri æquali jure adhuc tribuenda est quam materiae cuidam alienæ absque ratione certa, cur gravitet, assumenta. Aër tenuis ita penetrans poros vitri nisum suum cum residuo in sphæra, si residuum ipsi æqualiter tenuatum sit, coniungit & secundum proportionem su-

præ

16 NONNULLA PRINCIPIA PHYSICES,

pra § 22. descriptam per totam sphærā agit; aëre autem densiore in sphēra, propter densitatem, particulae sibi invicem impedimento sunt, quod minus juxta dictam proportionem agere possint, inclusæ enim particulae contra vitri particulas simul agunt sicut extraneæ particulae, quare etiam tantum operationis suæ amittunt, hinc æquilibrium magis tollit quam in casu priori, ubi tantum respectu extranearum particularum pars operationis cessabat, & sphēra celerius cadit, cum in casu priori, ubi aër in sphēra rarefactus erat, celeritas ejus minor erat.

Ex sublatione æquilibrii simul patet, nunquam sphēram construi posse, quæ ascendat in aëre respectu gravitatis immediatae.

Quodsi adhuc objiciatur: Causa gravitatis non est in aëre sed forsan in corporibus ipsis, corpora enim diversa grayitate in aëre denso, sub campana exantlata in aëre riori æquali celeritate cadunt, hinc omnis materia, aëre remoto, gravitate & quidem æquali gaudet; respondetur: si materia extra aërem æquali gaudeat gravitate, differencia gravitatis in aëre & quidem in aëre denso a resistentia aëris in relatione ad magnitudines corporum dependet. Jam posito duos globos æquales magnitudine, quorum alter cavus alter plenus sit, cadere in vacuo æquali celeritate. In aëre denso isti globi æqualem habent resistentiam, hinc æqualem gravitatis partem eos in aëre denso amittere ideoque æqualem gravitatis partem adhuc retinere oportet, si gravitas ipsis corporibus insit, quod autem repugnat experientiæ, cavus enim globus plus amittit pleno, hinc gravitas corporibus qua talibus inesse non potest, sed potius aëti, cum præter hæc credendum sit, diversa corpora in aëre riori per longum spatium etiam diversa celeritate sensibili cadere.

Quod-

Quod si adhuc dubium restet, annon gravitas consistat in propria sic dicta materia, quoniam particulae aëris qua-
quaversum premunt, gravitas autem propriè sic dicta tan-
tum deorsum se exerit & præterea figura particularum
aërearum incognita est; respondetur: Gravitatem pro-
priè sic dictam premere terræ centrum versus, ex expe-
rientialia clarum est. Jam ea aut consistit in aëre aut est
proprium quid. Ubique gravitatem premere constat,
cum aër ipse gravis sit. Hinc si sit proprium quid, illud
totam sphæræ superficiem explorare manifestum est. Jam
concipiatur a quolibet superficiæ puncto lineam duci
centrum versus, omnes lineæ continuè magis magisque
coincident, quo propius centrum accedunt. Quod si
vis se exerere debeat a superficie usque ad centrum per
omnes lineas, vim coincidere oportet, i.e. quæ in super-
ficie erat extensa, continuè centrum versus comprimen-
da est; quæ compressio, nisu gravitatis propriè sic dictæ
nonnisi à superficie centrum versus se exerente, etiam
nonnisi à superficie accedere potest. Jam à terra usque ad
superficiem omnia repleta sunt aëre, imò sub terras aër pe-
netrat. In aëre etiam est vis, quæ, cum quaquaversum,
etiam centrum versus agit. Vis igitur aëris centrum
versus simul comprimeretur à gravitate, quod si esset pro-
prium quid. Cum itaque propositio hæc stat: Vis quæ
agit centrum versus, magis magisque comprimit ea per
quæ agit, centrum versus, ejusmodi vis autem est in
particulis aëreis; certè concludi potest, istam vim etiam
magis magisque comprimere centrum versus ea, per quæ
agit, & itaque aërem se ipsum magis magisque compri-
mere. Compressio hæc in perpetuum durare non pot-
est, sed usque ad certam proportionem, qua vi etiam fiat,

C

gravi-

18 NONNULLA PRINCIPIA PHYSICES,

gravitas autem semper adest, hinc gravitas, compressione semel facta, nonnisi in conatu magis comprimenti consisteret potest. Quod consequenter etiam de vi particularum aërearum valet. Cum itaque constat, vi aëris istud præstari posse & etiam re vera præstari, vis aut materia propria, quam gravitatem appellemus, super fluxum quid videatur, & potius veritati consentaneum, gravitatem ab aëris dispositione dependere.

Quodsi adhuc inferatur: si materia gravifica circa terram continuè moveatur, corpora centrum versus propelli possunt; respondetur: Si materia tantum unico modo e.g. æquatori parallela moveretur, & corpora subsequente centrum versus propellerentur, corpora sub polis in situ parallelo nec itaque etiam centrum versus propellerentur, si autem nonnulla materiæ pars meridiano cuidam parallela aut aliter moveretur, fluxus materialium sibi mutuo impedimento forent.

§. 32.

Dantur corpora cadentia in aëre, quorum particulae tam parum cohærent, ut in quantitate pisi majore à gravitate separantur, qua vocantur Fluida.

§. 33.

Hinc fluida in quantitate pisi majore ferè omnem figuram internam vasis cuiusdam, cui immittuntur, accipiunt, ed exadiut autem, quod minori cohæsione gaudent.

§. 34.

Aër per fluidorum poros agit, quod ex experientia claram est: Fluidis enim sub campana positis & aëre ex ea oblati, aër sub bullularum forma exire, ex hoc autem plus ex illo minus.

Ex eo quidem, quod aër sub bullularum forma exeat, non patet, aërem per poros agere, sed hoc tamen, quod aër fluidis

fluidis insit & antequam in bullulas formentur, nonnisi in poris hærere possit fluidaque ita certum conatum se expandendi habeant. Quibus consideratis æquè ac illo, quod communicatio per poros cum aëre extraneo existat, dici potest: aër per fluidorum poros agit.

§. 35.

In fluidis itaque homogeneis vasi cuiusdam immisis ideoque in mari terram ambiente per omnes partes pyramidum in toto aëre conceptarum in aequali distantia à terra centro aër æquabiliter agit, posito particulas aëreas esse in æquilibrio.

§. 36.

Hinc omnes ejusmodi partes pyramidum conceptarum à latere æquabiliter agunt & propter æquilibrium hocce excedere minime possunt. E contrario si aliqua pars magis elevetur ceteris, pars succedens magis premitur ab elevata, hinc æquilibrio sublato, reliquæ porres à latere magis premuntur, quoniam autem inclusæ ad latus excedere minime possunt, sursum excedere coguntur & elevata pars ob parvam fluidorum cohaesione itidem ad latus excedens se conjungit ceteris partibus, usque dum omnes partes in superficie aëri exposita iterum æquè distent à terra centro.

§. 37.

Superficies quæcunque, cuius puncta omnia à terra centro æquè distant, dicitur superficies horizontalis & qualibet linea in ista superficie linea horizontalis.

§. 38.

Mare itaque terram ambient superficiem horizontalem servat, posito particulas aëreas esse in æquilibrio.

§. 39.

Ex hoc fundamento similicer patet, cur fluidum quoddam in tubis communicantibus, sive tubi sint æquales am-

20 NONNULLA PRINCIPIA PHYSICES,

plitudine sive minus, lineam horizontalem servet. Elevato enim fluido in uno tubo, magis premitur fluidum in altero tubo mediante fluido in parte communicante, hinc sursum cedere cogitur usque ad superficiem horizontalem.

§. 40.

Per fluida heterogenea ratione pororum aër inæqualiter agit, eò magis autem per alterum, quod pluribus vel majoribus illud gaudet poris & eò minus, quod paucioribus vel minoribus gaudet.

§. 41.

Quod paucioribus vel minoribus aliquod fluidum gaudet poris, cæteris paribus respectu conatus se expandendi, eò gravius est & contra. Quod minoribus vel paucioribus fluidum gaudet poris, eò minus per illud aër agit (§. 40.). Hinc minori conatu se expandendi gaudet, cæteris paribus. Quo minori conatu se expandendi gaudet corpus, eò gravius est (§. 30.). Ergò valet etiam de ejusmodi fluido, quod eò gravius sit (§. 32.), & contra.

§. 42.

Fluidum pluribus vel majoribus gaudens poris alti minoribus vel paucioribus gaudenti innat. Per fluida heterogenea ratione pororum aër inæquabiliter agit (§. 40.). Hinc nullum æquilibrium tali modo est, si misceantur. Jam cum fluidum minoribus vel paucioribus gaudens poris gravius sit pluribus gaudente (§. 41.), hoc magis premitur illo, ad latus autem, quodsi inclusum sit, excedere non potest, hinc sursum cedere cogitur & ita innat fluido minoribus vel paucioribus poris gaudenti.

§. 43.

*Propter exiguum fluidorum coæsonem quidem ad latus
se ex-*

se extendit, quodsi vas sit admodum amplum & fluidi innatans exigua quantitas, quodsi autem vas sit angustum, pro quantitate fluidi altitudo ejus supra gravius fluidum cerni potest.

§. 44.

Hinc etiam in tubis communicantibus, quodsi alteri eorum fluidum diversum immittatur, fluidum pluribus vel majoribus gaudens poris majorem servat altitudinem fluido minoribus vel paucioribus gaudente.

e.g. Aqua altitudine superat mercurium.

§. 45.

Quodsi autem æqualibus poris gaudeant, particulæ unius inter alterius particulas hæreant, & si cohaesio æqualis sit, miscentur necesse est.

§. 46.

Ob eandem rationem corpus non fluidum pluribus vel majoribus gaudens poris fluido quodam, ipse innatet, minoribus vel paucioribus gaudens autem submergitur, & æqualibus gaudens inter fluidi particulas hæret.

§. 47.

Quod magis itaque differt corpus natans, eò magis eminet.

Hoc autem non sit nisi pori adhuc tam exiguë sint, ut fluidum vel nunquam vel lètè tamen penetrare possit, vel nisi fluidum ope alius materiae densioris arceatur.

Quoniam etiam durante submersione particulæ fluidi sub dicto corpore ad latus excedere coguntur, ad eò lentiorem lapsum contribuit, quò plures particulas infra tangat, & quò magis in linea horizontali, sicut dictum est de aëre (§. 31.). Hinc accidit, ut interdum corpus fluido gravius tenue & latum juxta latitudinem fluido

22 NONNULLA PRINCIPIA PHYSICES,
impositum ipsi innatet. Quod etiam promovet navium
natatum.

§. 48.

Datur corporum species, cuius particulae tam exiguae
gaudent cohæsione, ut levi aëris motu separari possint, qua-
que si in quantitate cohærent, quaqueversum, ubi aëri expo-
sitæ sunt, corpora circumstantia visibilia reddunt, hoc autem
nonnisi in & circa aliud corpus barentes præstant. Hæc cor-
porum species dicitur Ignis.

Igni etiam hoc attributum esse, quod sensibus nostris ob-
veniat, hinc eum corpus dici posse, apertum est, sentimus
enim illum per contactum & per visum.

Animadvertuntur nonnunquam particulae ignis nec in
exigua quantitate in corporibus quibusdam e.g. in ferro,
quæ tamen corpora circumstantia visibilia minime red-
dunt; sed affirmari non potest, eas ubi aëri expositæ sunt,
cohærere, quare etiam, ut distinguantur, non Ignis sed
Calor vocantur.

§. 49.

Si speculum causticum opponatur carbonibus candenti-
bus tali modo ut in Catoptrica docetur; in puncto, quod focus
appellatur, ignis oritur, quodsi corpus aliud supponatur, carbo-
nes autem sensim minores evadunt; sublatis contrâ carboni-
bus, ignis in foco evanescit, nec minus visibilitas speculi &
corporis in foco positi; postea conclave, in quo experimentum
illud sit, suisse ante aenebrosum.

§. 50.

Ignem se expandere & ita particulas suas per aëris po-
ros objecta corpora versus jacere, ab his autem eas ad oculos
nostros reflecti, (quod ex Optica magis notum est,) & car-
bonum particulas etiam ab ignis particulis in aëre dispergi, inde
concluditur.

§. 51.

PRÆSERTIM CAUSA GRAVITATIS. 23

§. 51.

Quod cum itidem valcat de sole, solem esse ignem & particulas suas corpora objecta versus jacere, ab his autem ad oculos nostros eas reflecti, afferitur.

§. 52.

Remoto aëre ignem ambiente, ignis in continentि ita se expandit, ut invisibilis reddatur nec tale quid restet, quod ignem vocare possemus.

§. 53.

Aër itaque ignem per compressionem conservat.

Compressionem illam verò non sufficientem esse ad conservandum ignem, ex eo clarum est, quod ignis continuè particulas suas unacum particulis corporis, in quo hæret, emittens decrescat & tandem evanescat. Quamobrem aliud quid accedere oportet, quod ad ignis conservationem contribuat.

§. 54.

Quodsi corpora nonnulla celeriter conterantur aut certo modo collidantur in aëre, ignis excitatur, e.g. si chalybs atque pyrites collidantur in aëre, ut hæret circa terram, ignis prodit, aëre autem ablato aut potius rarefacto, nullus ignis prodit.

§. 55.

Particulas ignis tum aëri tum corporibus concussis inesse concluditur.

Quod non absurdum est; radii solis enim in corpora penetrant tum immediatè tum per refractionem, & particulæ ignis in corporibus adhuc restant soli non magis immediate oppositis.

§. 56.

Quoniam aëris celeritate iectus magis comprimitur & ita vehementer movetur, motu isto particulae ignis compelluntur & ad cohaesōnem rediguntur, dum Ignis oritur.

§. 57.

§. 57.

Ad conservationem ignis itaque, continuè alias ignis particulas aëris compressi motu compelli, requiritur. Igne enim continuè se expandente & ita particulas suas rejiciens (§. 50.) sui partem amittit. Quare si conservari debeat, alias particulas continuè accedere, requiritur, quæ autem nonnisi per aëris compressi motum, quo compellantur, in ignem convertuntur (§. 54, 56.). Hinc id accidat, necesse est.

§. 58.

Ad conservationem ignis etiam requiritur, alia corpora particulis ignis prædicta & ad solutionem idonea accedere aut easdem particulas rejectas recedere. Ignis enim se expandens & suas particulas unacum particulis corporis, in quo haeret, rejiciens (§. 50.) partem ejus ex quo ortus est, amittit. Quare cum illud in conservationem ignis restitui debeat, particulae ignis autem in excitatione ignis tum ex aëre tum ex corporibus nonnullis eliciantur (§. 55.); alia corpora particulis ignis prædicta & ad æqualem solutionem idonea accedant vel eadem particulae rejectæ recedant necesse est.

Quod si eadem particulae recedant, eas eandem ignis particularum quantitatem secum ferre debere, clarum est.

§. 59.

Ignis existens se ipsum conservat in aëre compresso quo- ad motum aëris & accessum particularum ignis in aëre con- sentarum. Particulae ignis enim ab igne per poros aëris rejectæ particulas aëreas comprimunt, quæ cum conatum habeant quaquaversum se expandendi, se ex- pandunt propter sublatum æquilibrium (§. 23.) cum particulæ aëreas circumstantes versus tum versus ignem,

ignem, hinc aliæ particulæ ignis in aëre contentæ accidunt ipsæque in corpore ignifero contentæ per motum istum magis compelluntur. Cum itaque ignis per compulsum istum & accessum particularum ignis oriatur (§. 56, 55.), hoc autem itidem ad conservationem ignis requiratur (§. 57.); ignis existens quoad has circumstantias se ipsum conservat.

Quod ignis aëris motum excitet, experientia confirmat.

§. 60.

Particulæ aëreæ commotas proximè contingentes ab ipsis itidem moventur & quidem magis ab isto latere, a quo major motus in igne ob majorem ignis particularum quantitatem & ob minorem corporis igniferi cohaesionem excitatur.

§. 61.

Particulæ ignis rejectæ unacum particulis corporis igniferi rejectis per aërem & quidem irregulariter distractabuntur, hinc non redeunt nec itaque ignis quoad has circumstantias se conservare potest.

§. 62.

Opus igitur est, alia corpora ad solutionem istam idonea igni injicere, si eum conservare velimus.

§. 63.

Particulæ ignis calorem in corpore quodam constituentes (§. 48. not.) etiam se expandunt & per aërem distractabuntur, si corpus aëri expositum sit, particulas corporis, in quo barent, etiam secum portant, si corpus exigua cohaesione gaudeat, nec minus aër calore exente moveatur, quod ex experientia clarum est: Color enim aqua extens particulas aqueas secum porrigit, quas in tegula olla, cui aqua fervens inest, barentes videre licet, nec minus motum aëris simul sentimus.

D

§. 64.

§. 64.

Non absimili modo concluditur, calorem lacubus atque fluminibus à sole calefactis exequentem particulas aquaeas secum portare & ad eo majorem altitudinem, quo major ejus quantitas i.e. quo major caloris gradus existat, nec minus consequitur, motum aëris simul excitari, quo particulae tum aquaeas tum ignis distractabantur & magis eleventur, quæ particulae aquæ runc Vapores appellantur.

§. 65.

*Motus aëris dicitur *Ventus*.*

§. 66.

*Quo major motus, hoc major *Ventus*.*

§. 67.

Ventus igitur ab igne vel artefacto vel naturali sc. sole exortori potest.

§. 68.

Sole continuè statum suum erga terram mutrone, modo in hac modo in illa regione tum aëris tum terra & aqua aliaque corpora calefunt, ut experientia docet.

§. 69.

Hinc modo hic modo illic aëris movetur ideoque venti excitantur, quibus excitat, si sibi obveniant, motus viribus conjunctis multiplicarur, quod etiam fieri potest per repercussionem; quo aliquoties iterato Tempestas oritur.

§. 70.

His consideratis non mirum est, quod particulae aquæ s. vapores, quas Nubes vocamus, in aëre suffidentur & circa terram propellantur motu aëris, cui hoc accedit, quod in aliis gravitas magis magisque decrescat (§. 30. 31. annot.).

§. 71.

Solem consideramus tanquam ignem perpetuum continuè statum

statum suum ergo terram mutantem ita ut ejus superficiem pedes enim visibilem invisibilemque reddat, i.e. diem noctemque constituar.

Solem esse ignem, §. 51. evicimus, ast perpetuitatem ejus nempe in futurum quoad constructionem ex eo colligimus, quod splendor lumenque ejus emissum per tot secula eadem permanserint.

§. 72.

Particulae solis emissæ vitro vel speculo caustico exceptæ in ære compresso, sicut hæret circa terram nostram, corpora dissolvunt, sicut ignis à nobis per motum corporum excitatus, sequit conjungunt cum nostro igne & tam parum in ære rarefacto in ignem transmutantur ac nosfer ignis (confer. celeb. Wolfii Phys. exper. 2ter Theil §. 131.)

§. 73.

Sole igni à nobis excitato tam æquali, valde probabile est, solem etiam alii corpori conjunctum esse (§. 48.), particulas illius corporis cum particulis ignis simul emittere (§. 50.) atque ære compresso esse circumdata (§. 52, 53.), quem ærem itidem aliquid ambiat illum compressum tenens (§. 14.).

Maculæ in sole loca sua mutantes observantur, quæ forsitan corporis, cui sol conjunctus est, partes à sole disolutæ sunt.

§. 74.

Solem itaque, cum sit ignis perpetuus (§. 71.), continuè vel alia corpora particulas ignis secum portantia & ad solutionem idonea accedant, vel particulae emissæ recedant (§. 58.), necesse est. Jam cum nullibi concipi queat, unde alia corpora accedant, restat quod particulae emissæ recedant.

28 NONNULLA PRINCIPIA PHYSICES,

Particulas autem ignis rejectas recedere, verisimile est, quodsi consideremus, tot particulas quotidie in aërem & terram nostram rejici, quibus, nisi iterum terram aëremque relinquenter, tantus denique oriretur calor, ignisque excitaretur, ut vitam plus degere minime possemus imò omnia cremarent.

§. 75.

Oculos nostros soli obvertentes aëremque nostrum sursum perspicientes nec ab aëre nostro nec in se diversum quid, quod ambiat tum aërem nostrum tum solis aërem, agnoscimus.

§. 76.

Id quod aërem nostrum solisque aërem probabilem (§. 73.) ambit, totum spatiū inter terram atque solem & adhuc magnum spatiū à tergo tum soli tum terræ occupare verisimile est; quid autem obstat, quo minus nobis persuadeamus, ipsum esse aërem, quippe si consideremus, aërem in sphæræ figura constitutum esse tam idoneum ad corpora movenda tum deorsum tum sursum tum à latere, sicut patet ex antecedentibus, non magis alieni erimus ad attribuendum etiam ejusmodi aëri formam sphæræ & per consequens attributum gravitatis, qui tum vocari potest aër generalis, vulgò autem cœlum vocatur.

§. 77.

Concipiamus itaque, vi hujus gravitatis terram nostram una cum aëre suo à tergo solem tanquam centrum versus deprimi, cum à fronte vi particularum sole continuè egredientium motuque aëris à sole tanquam igne excitato sustentetur, quo minus in eum cadat, & vento regulari continuè rotetur & agiterur ita ut dies noctesque nec minus anni constituantur.

Quodsi

Quodsi verò cuidam adhuc impossibile videatur, ejusmodi molem, ac est terra nostra, à sole & motu aëris sustentari, is consideret, terram nostram respectu horribilis spatiis usque ad solem & à tergo terræ usque ad superficiem aëris generalis, quod probabiliter adhuc horribile est, esse præter propter ut gùttula aquæ in aëre nostro tantum vento sustentata respectu totius sphæræ aëris nostri; nec minus consideret magnitudinem solis incomparabilem aëris motum excitantis; & quamvis hæc, quæ de sole & motu terræ nostræ adduximus, non possint demonstrari, probabiles tamen causas adduximus, quæ probabilitas certè præferenda est sumptioni cuidam causa destituta.

Nec itaque absurdì sunt vortices cartesiani respectu motus, quo ventus constituitur.

§. 78.

Objectum, quod sæpius se repræsentat oculis nostris extra sphærā nostrā cœlo sic dicto obversis ceu longè remotum in disciforma & magnitudine, modo lucidum modo opacum, vocatur Luna.

§. 79.

Lunam tantum ab isto latere, quod soli obvertit, & modo totam respectu lateris nobis obversi, modo quoad dimidiā, modo quoad majorem modo quoad minorem partem lateris nobis obversi esse lucidam, observamus.

§. 80.

Lunam superficiem habere sphæricam atque à sole illuminari, inde concludimus.

§. 81.

Lunam circumdatam esse circulo minus pellucido quam istud est quod pro aëre generali habemus, &

D 3

moveri

30 NONNULLA PRINCIPIA PHYSICES

moveri unacum isto circulo circa terram nostram, ex observationibus astronomicis patet.

§. 82.

Lunam circumdatam esse aëre condensato, in quo vapores ascendunt descenduntque, sicut circa terram nostram, hinc corpus esse, quod eandem sustentatus & motus causam habet ac terra nostra, inde opinamur.

Lunam esse corpus quadragesimam partem magnitudinis terræ nostræ continens, ope Mathefeos inventum est.

§. 83.

Oculos nostros extra aërem nostrum cœlo obver- tentes nonnunquam objœcta quædam luna multò mi- nora modo hic modo illic animadvertisimus splendida ra- diosque immobiles emittentia, quæ vocantur *Planetae*.

§. 84.

Planetae per tubos opticos aspecti in forma disci se repræsentant ut luna; latus eorum soli obversum etiam tantum splendet, & modo toti respectu lateris no- bis obversi, modo quoad dimidiam, modo quoad majo- rem vel minorem partem istius lateris splendent.

§. 85.

Planetarum figuram non minus esse sphæricam quam lunæ, eosque etiam illuminari à sole, inde conclu- dimus.

§. 86.

Planetas moveri circa solem nonnullosque magni- tudine superare terram nostram, in Astronomia mon- stratur.

§. 87.

Planetas quoque esse corpora, quæ eandem su- stentatus & motus causam habent ac terra nostra, admo- dum probabile nobis videtur. Quid verò obstat, quo minus etiam incolas ipsis inesse statuamus, tum rationa- les tum irrationales.

§. 88.

PRÆSERTIM CAUSA GRAVITATIS.

31

§. 88.

Singulo tempore nocturno, aëre nostro sereno, cælum intuentibus nobis se repræsentant objecta partim planetis minora partim æqualia, splendida atque scintillantia eandemque distantiam inter se servantia, quæ vocantur Stellaræ fixæ.

Vocantur autem Stellaræ fixæ, ut discernantur à Planetis, quæ etiam Stellaræ vocantur.

§. 89.

Stellaræ fixæ per tubos opticos aspectæ non majores verum potius minores apparent, quam nudis oculis.

§. 90.

Stellas fixas multo majori distantia à terra nostra remotas esse quam Planetas, statuimus (confer. Optica).

§. 91.

Stellaræ fixæ semper totæ (nempe quoad latus nobis obversum) splendent splendorque earum egregior est splendore planetarum.

§. 92.

Stellas fixas proprio gaudere lumine, inde opinamur.

§. 93.

Quid obstat, quo minus nobis persuadeamus, Stellaræ fixas esse extra sphæram, intra quam terra nostra aliquique planetæ moventur, & quamlibet earum esse sollem planetas suos illuminantem incolisque eorum ignem atque calorem præbentem.

§. 94.

Innumerabilis Stellarum fixarum multitudo per tubos opticos animadvertisit, & quo majores melioresque sunt tubi, eo magis crescit multitudo.

§. 95.

Plures adhuc existere, quas forsitan nunquam detegimus, statuendum est.

§. 96.

32 NONNULLA PRINCIPIA PHYSICES, &c.

§. 96.

Cui autem usui essent, quæ partim à paucis tantum nec sine industria observantur, partim nunquam deteguntur, nisi proprios haberent planetas, quorum incolis servirent.

§. 97.

Quodsi sol Stellæque fixæ aëre circumdatæ sint, istius aëris gravitatis causa efficit, ut isti ignes conserventur in centris suis, absque dubio etiam, ut particulæ ignis recedant, quod in antecedentibus monstratur, ad ejusmodi ignis conservationem requiri. Aërem cuiuslibet planetæ procul dubio etiam compressum tenet. Hinc vita creaturarum & phænomena in quolibet planeta ab aëre suo dependentia ab isto ceu principio dependent. Nec itaque dubium est, cum aër atque particulæ ignis in terra nostra fere ubique reperiantur, quin causa gravitatis principium phænomenorum primum jure denominari possit.

§. 98.

Si quilibet aër generalis ad Stellam fixam quandam pertinens ab aliis illum ambientibus, ut valde probabile est, compressus teneatur; quid extremos compressos tenet? hic nec ferè quid restat probabile, quod nempe afferre possimus extra immediatam manum Dei.

§. 99.

Quale pulvisculum est homo respectu Universi, & quam exigua ejus cognitio! Quanta è contrario cognitio Dei, qui omnia ista ac nosmetipsos creavit atque conservat! quanta etiam bonitas Dei, quæ nobis hoc modo objecta præbet, quibus quotidie cognitionem nostram augere possumus! Hinc

SOLI DEO GLORIA.

Ae 2014

(1)

Rebo ✓

Slo

VD 1700


2018

ME



3





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



NONNULLA
PRINCPIA PHYSICES
PRÆSERTIM
CAUSA GRAVITATIS
CEU PRIMUM PRINCIPIUM
PHÆNOMENORUM
EXPLICATA

A U C T O R E
ALBERTO FRIDERICO MARTINI
CROSN. SIL. PHIL. STUDIOSO.



HALÆ MAGDEBURGICÆ,
LITTERIS HENDELIANIS,
ANNO M DCCXXXVIII.

